Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31244
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

portauit ubi in ecclesia sancta geminam honorifice est sepultus.

De nativitate beate virginis.

Nativitas gloriose virginis Marie ex tribu Iuda et regia stirpe David duxit originem. Matheus autem et Lucas non generationem Marie sed Ioseph describunt qui tamen ab hac conceptione penitus alienus fuit quia consuetudo scripture fuisse dicitur ut non mulierum sed virorum generationes texerentur. Verissime tamen virgo beata ex progenie David descendit. Quod patet quia ut sepe scriptura testatur Christus de semine David duxit originem. Cum ergo Christus de sola virgine natus sit, manifestum est ipsam virginem ex David natam esse et ex Nathan. Etenim David inter ceteros filios duos habuit scilicet Nathan et Salomonem. De stirpe Nathan filii David, ut testatur Iohannes Damascenus, Levi genuit Melchi et Panthar, Panthar genuit Barpanther, Barpanther genuit Ioachim, Ioachim genuit virginem Mariam. De stirpe vero Salomonis Nathan habuit uxorem de qua genuit Iacob. Defuncto autem Nathan, Melchi qui erat de tribu Nathan, filius Levi et frater Panthar, duxit uxorem Nathan matrem Iacob et genuit ex ea Heli. Sunt ergo fratres uterini Iacob et Heli, Iacob quidem de tribu Salomonis, Heli autem de tribu Nathan. Heli autem de tribu Nathan sine liberis mortuus est et accepit Iacob frater eius qui de tribu Salomonis uxorem eius et fratri suo suscitavit semen et genuit Ioseph. Est ergo Ioseph natura filius Iacob ex descensione Salomonis, secundum legem autem Heli qui ex Nathan. Nam filius qui nascebatur secundum naturam erat generantis, secundum legem autem defuncti. Hec Damascenus. Sicut autem in ecclesiastica hystoria et Beda in sua cronica testatur, cum omnes generationes Hebreorum et alienigenarum in archivis templi servarentur, Herodes omnes iussit incendi, existimans se nobilem posse videri si deficientibus probamentis progenies sua ad Israel pertinere crederetur. Fuerunt tamen quidam qui dicti sunt dominici, eo quod Christo propinqui erant, de Nazareth oriundi, qui ordinem generationis Christi partim ex memoria, partim ex quibusdam libris quos domi habebant, quantum potuerunt edocebant. Ioachim autem accepit uxorem nomine Annam, que habuit sororem nomine Hysmeriam. Hysmeria autem

Hysmeria genuit Elizabeth et Eliud. Elizabeth Iohannem Baptistam. De Eliud natus est Eminen, de Eminen natus est sanctus Servatius, cuius corpus est in oppido dicto Traiectum super fluvium Mosam in episcopatu Leodicensi. Anna autem tres habuisse viros dicitur scilicet Ioachim et Cleopham et Salome. De primo autem viro scilicet Ioachim unam filiam scilicet Mariam matrem domini genuit, et mortuo Ioachim accepit Cleopham fratrem Ioseph et genuit ex eo aliam quam similiter vocavit Mariam et Alpheo postmodum matrimonio sociavit. Hec autem Maria ex Alpheo viro suo quatuor filios genuit scilicet Iacobum minorem, Ioseph Iustum qui et Barsaba, Symonem et Iudam. Mortuo autem secundo viro Anna accepit tertium scilicet Salome, ex quo aliam filiam genuit quam iterum similiter Mariam vocavit et eam Zebedeo in coniugem tradidit. Hec autem Maria ex Zebedeo viro suo duos filios genuit scilicet Iacobum maiorem et Iohannem evangelistam. Unde et de his sunt versus: Anna solet dici tres concepisse Marias, quas genuere viri Ioachim, Cleophas, Salomeque. Has duxere viri Ioseph, Alpheus, Zebedeus. Prima parit Christum, Iacobum secunda minorem, et Ioseph iustum peperit cum Symone Iudam, tertia maiorem Iacobum volucremque Iohannem. Sed mirum videtur quomodo beata Maria potuit esse cognata Elizabeth, ut superius dictum est. Constat enim Elizabeth fuisse uxorem Zacharie qui erat de tribu Levi, et secundum legem quilibet de sua tribu et familia ducere debebat uxorem, et ipsam de filiabus Aaron. Lucas testatur Annam autem fuisse secundum Ieronimum de Bethleem que erat de tribu Iuda. Sed sciendum quod et Aaron et Ioiada summi sacerdotes ambo de tribu Iuda duxerunt uxores, unde tribus sacerdotalis et regalis cognatione semper adiuncte probantur fuisse. Potuit autem, ut dicit Beda, ista connexio etiam novissimis temporibus fieri, ut manifeste Maria que de tribu regia descenderet cum tribu sacerdotali cognationem habuisse ostenderetur. Et ideo beatam Mariam de utraque tribu esse voluit enim dominus ut hee tribus privilegiate permixtim ad invicem miscerentur, quia dominus de eis nasciturus erat qui verus rex et sacerdos proobtulit seipsum offerret et fideles suos in militia huius vite